Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2389
Quelle:
Copyright:

istis verbis velamen sui doli solent adaptare dicentes: Sacramentum altaris sub specie prima est totum plenum et perfectum sacramentum, et hoc fuit defensorium ipsorum coram rege (Georgio) *in disputatione contra Magistrum Rokyczanam Anno domini* MCCCCLXV. &c. Hinc scriptionis tempus liquet.

VIII. *fol.* 111. Epistola *Petri Plebani* ad *Andream*, de quo supra N. 4. seu Tractatus potius, quo hunc Apostasiae coarguit et *Hussitarum* opiniones magno testimoniorum e sacris literis et PP. adparatu urget. Initium: *Ad scripta mea* (tua) *quibus non me sed euwangelicam quam sincero diligo corde ausus es impugnare fidem, non mireris cur tardius respondeo* &c. Finis: *in futuro ducet in conviuium eternum Amen.* Manus difficilis et saepe refecta.

IX. *fol.* 182. Expositio Orationis Dominicae, cujus initium: *Ista oratio dicitur dominica, quia dominus noster ihesus christus ipsam suo ore composuit* &c. Percurruntur deinceps VII. *Petitiones*, sed uberius, quam quidem in Opp. *Hussi supracit.* P. I. p. 40. qui tamen sub finem citatur.

X. *fol.* 194. Excerpta Bohemica e *Statutis Arnesti* I. Archiep. *Prag.* anni 1309. contra Usuras et Usurarios, item ex Interdicto *Cesaris Caroli et Leonis Pape*, item ex *Juribus* (Prawa Prazska) *Pragensibus.*

XI. *fol.* 198. Collectanea: *Que mala veniunt ex recidiuatione ad vicia. Signa quis est in corpore christi mistico et quis non. Vera descriptio antichristi.*

XII. *fol.* 204. *Secuntur Sententie Morales Philosophi Sexti qui acerrimi fuit vir ingenij.* Initium: *Fidelis homo electus homo est, electus homo homo dei est* &c. E Graeco transtulit *Ruffinus Aquil.* nomine *Enchiridii* seu *Anuli*, tribuitque *Xysto* seu *Sixto* Pont. Rom. II. culpatus ab *Hieronymo*, cui Author visus est Philosophus Pythagoraeus *homo gentilissimus.* Standum tamen videtur potius pro Christiano, id quod edit. ultima *Lipsiae* 1725. 4. adsertum ivit *Urb. Godfr. Siberus*, et *Sixtum* Pont. Sec. III. Martyrem reposuit. Nondum inventa Graeca.

XIII. *fol.* 213. p. 2. Argumenta collecta contra Supplicationes Theophoricas, quae excipiuntur a variis Excerptis e Sermonibus *Job. Chrysostomi.*

XIV. *fol.* 226. Tractatus Bohemicus pro Communione Infantium, qui incipit: *Keczti pana boha wssemobucziebo a gebo choti milee Cierkwe swate mienim* &c. Tractatus hujus argumenti latinos vide *Codd.* variis.

DCXXV.

Codex chartaceus, lat. Sec. 658
XVI. Folior. 6. 4. continet: I. Methodum quandam meditandi Sacra, cujus initium: *Ad meditationem presentem accelerandam et eius vtilitates 12. generales et plures particulares demonstrandas ordinate ingredimur particulas ipsam*